

rationes ab aliis esse solubiles, vel solutas, licet ipsi solutio non occurrat; aliter censeatur quod nimis superbus præsumeret solus ipse sapere, contra Sanctissimum monitum S. Gregorii Nazianz. orat. 27. « Nemo sapientior sit quam conveniat, nec lege exactior, nec luce splendidior, nec norma rector, nec præcepto divino sublimior. »

(102. Objicies primo. Qui sequitur alienam opinionem minus probabilem, relicta propria opinione sibi probabiliori, et tutiori, agit contra propriam Conscientiam, agit enim contra iudicium proprium, quod oppositum magis veritati accedat, consequenter peccat, quia ex Apost. ad Rom. 14. « Quod non est ex fide (idest ex dictamine propriæ Conscientiæ) peccatum est, » et c. *Literas* 13, de restitut. spoliator. « Quidquid fit contra Conscientiam, ædificat ad gehennam. » (103. Respondetur negando antecedens, quia quamvis ipse agat contra suam opinionem directam, non tamen agit contra suam Conscientiam, sed juxta suam Conscientiam practice certam; qui enim operatur juxta opinionem vere probabilem, habet Conscientiam practice certam, quod licite operatur; ultra enim actum opinativum directum, explicite, aut virtualiter habet actum reflexum, quo certo iudicat se licite operari, dum hic, et nunc operatur secundum opinionem vere probabilem, licet alienam. (104. Nec valet dicere, quod ex S. Thoma 2, 2, q. 17, art. 2. « Homo in iis quæ ad propriam personam pertinent, debet formare Conscientiam a propria scientia, » adeoque non potest sequi opinionem pure alienam, maxime suam probabilior, et tutiorem, sibi visam. (105. Non valet, inquam, quia respondetur negando consequentiam, ipse enim format sibi Conscientiam a propria scientia, eo quia sciens opinionem alienam esse probabilem, inde sibi format dictamen ultimum reflexum de licito usu illius opinionis, quia qui sic operatur non iudicat propriam opinionem sibi visam probabilior, esse veram, alioquin iudicaret oppositam, juxta quam operatur, esse falsam, cum una sit veritas, sed solum iudicat eam magis apparere veram, sæpe autem quæ magis apparent vera, reipsa sunt falsa; et regulariter opinio, quæ uni, aut eidem, nunc apparet probabilior, alteri aut eidem postea apparet minus probabilis.

(106. Objicies secundo. Nemo potest licite agere, quod probabilius putat esse illicitum, sed sequens alienam opinionem minus probabilem, et tutam contra propriam probabilior, et tutiorem sibi visam, probabilius putat esse licitum id quod agit; ergo, etc. (107. Respondetur distinguendo majorem. Nemo potest agere, quod probabilius putat esse illicitum practice, concedo majorem; quod probabilius putat esse illicitum speculative tantum, nego majorem, et sic distincta minori, negatur consequentia. Licet enim talis juxta suam sententiam probabilior, et tutiorem sibi visam, speculative iudicet oppositum esse illicitum; quia tamen etiam oppositam sententiam censet vere esse pro-

babilem, inde practice certo se resolvit licitum esse sic operari hic et nunc, et nullo modo esse illicitum; quia regula proxima operandi non est probabilitas, sed recta ratio, videlicet ultimum iudicium practicum, seu Conscientia practica, et non Conscientia speculativa; et eo ipso quod voluntas se determinat ad agendum juxta ultimum iudicium practicum, quod nempe actio sit vere probabiliter hic et nunc licita, practice, et exercite operatur licite, et sic non peccat.

(108. Secunda pars resolutionis seu conclusionis, nempe quod etiam quandoque teneamur sequi opinionem alienam minus probabilem, et minus tutam, etiam contra propriam opinionem probabilior, et tutiorem nobis visam, sic ostenditur. Omnes tenentur satisfacere suæ obligationi, quando id sine peccato præstare possunt; sed quandoque accidit, quod aliqui obligentur satisfacere suo officio non obstante aliena opinione minus probabili, et minus tuta apud ipsos, ergo cum talem opinionem alienam minus probabilem, et minus tutam sine peccato sequi possint etiam contra suam propriam probabilior, et tutiorem nobis visam, ut usque modo ostensum est, ipsam quandoque etiam sequi tenentur. Major est clara, et certa; et minor probatur maxime de subdito respectu Superioris, et de Confessario respectu penitentis. (109. Subditus enim tenetur omnino obedire Superiori præcipienti aliquid probabiliter licitum, licet ipsi subdito probabiliter videatur illud esse illicitum, quia in materia obedientiæ, quando subditus potest licite obedire, tunc tenetur; sed subditus in hoc casu licite potest obedire, ergo tenetur; Cum enim certum sit Superiorem posse præcipere secundum opinionem sibi visam probabilem, et sit in possessione suæ potestatis obligandi subditum: Subditus autem non certo, sed solum probabiliter putat oppositum, v. g. materiam præceptam esse illicitam, aut potestatem Superioris se ad hanc materiam non extendere, et certum per probabile impediri nequeat, subditus non potest formare iudicium practice probabile, nedum certum, licere sibi non obedire, sed non obstante sua contraria opinione debet formare iudicium practicum, seu Conscientiam, quod hic, et nunc, et possit, et debeat obedire Superiori. (110. Colligitur ex cap. *Quid culpatur* 4, caus. 23, quæst. 1, ubi S. Augustinus dicit: Subditum posse militare ita jubente Rege etiam sacrilego *si certum non sit bellum esse iniquum*, quamvis autem, probabiliter esset esse iniquum, tamen hoc nondum esset certum, adeoque posset militare. *Et est communis* Sanctorum Patrum, et Theologorum sententia, talem subditum teneri obedire Superiori in omnibus rebus, in quibus nullum manifestum est peccatum. Sic S. Bernardus de præcept. et dispensat. cap. 12. S. Bonaventura in specul. disciplin. cap. 4. S. Bernardin. Senens. in Decalog. de Obedient. S. Ignatius Loyola 3. part. Constitut. cap. 1, § 23, et part. 6, cap. 1, in Declarat. lit. B. Dionysius Carthusian. in 2. dist. 39, quæst. 3, et sic de cæteris.

(111. Sic Confessarius in iudicio Sacramentali tenetur contra propriam opinionem etiam probabilior, et tutiorem sibi visam absolvere penitentem, qui tenet oppositam minus probabilem, et minus tutam, dummodo sit vere probabilis, et vere tuta, et de reliquo penitens sit rite dispositus. *Est communis*, et certa sententia Navarri in Manuali cap. 26, n. 4. Layman lib. 1, tract. 1, cap. 3, num. 10. Claud. La Croix lib. 1, num. 443, cum plurimis ibi citatis. (112. Immo Diana part. 2, tract. 3, resolut. 11, addit teneri Confessarium sic penitentem absolvere, licet putet opinionem penitentis esse falsam, dummodo reputet probabilem, et Dianam sequuntur quamplurimi alii, et quidem si sermo sit de proprio Confessario sive Parocho ipsius Penitentis; Busembau lib. 1, c. 2, dicit, quod secundum communem sententiam debet Confessarius sub mortali talem penitentem absolvere, licet ipse iudicet doctrinam esse falsam, ideoque frustra remittet talem penitentem ad alium Confessarium, qui sit ejusdem sententiæ. (113. Quinimo addit Diana part. 2, tract. 13, resolut. 11, ex Sanchez et Sancio peccare mortaliter, si nolit absolvere, quando de mortali confessio sit, quamvis non sit proprius ejus Confessarius. Et ratio est, quia Confessarius audita confessione non potest absolutionem negare penitenti recte disposito, nullumque peccati obicem ponenti, sed penitens sequens opinionem vere probabilem, et tutam, est ex hoc capite recte dispositus, et nullum ponit peccati obicem cum prudenter operatur: ergo non potest sine gravi injuria ei absolutio denegari; aliter tunc injuste cogitur bis confiteri eadem peccata, contra suum jus, quod post enarrata peccata per se loquendo, habet ad absolutionem; immo Confessarius injuriam faceret etiam Auctori Sacramentorum, quia Sacramentum Penitentiae sine justa causa relinqueret imperfectum (114. Unde merito dicit Layman lib. 1, tract. 1, cap. 5, n. 10, quod reprehendenda est ea Confessariorum consuetudo, qui veriti confitentem contra propriam sententiam absolvere, ad alium Confessarium ablegant, qui oppositam probabilem opinionem tenet. Si enim ille alter absolvere possit, cur non et tu possis? Aut cur tua speculativa persuasio penitenti obesse debeat. Vide Animadversionem Theologi Romani ad verb. *Confessarius*, art. 4.

(115. Conscientia scrupulosa « est inanis apprehensio, et hinc ortus timor, et anxietas alicubi esse, vel fuisse peccatum, ubi revera non est, nec fuit. Est in re communis? » (116. Et dicitur signanter *inanis apprehensio*, ut advertatur, quod scrupulosus ex solis frivolis, aut levibus motivis titubat, fluctuat, anxie formidat, aliquid esse vel fuisse peccatum, quod revera non est, nec fuit. (117. Dicitur *esse vel fuisse*, ut advertatur, quod aliqui sunt scrupulosi circa præsentia, et alii circa præterita. (118. Scrupulosi circa præsentia sunt illi, qui cum deliberate non consentiant in peccata, tamen ubique timent, ne hoc, quod facere volunt, sit peccatum, et

ideo ubique hærent, et se ipsos vanis apprehensionibus peccatorum excruciant, et torquent, si aliquid egerint. (119. Scrupulosi circa præterita sunt illi, qui cum moralem diligentiam adhibuerint in examinandis, et detestandis, et confitendis præteritis, nihilominus ex solis frivolis, et levibus motivis, et sine prudenti fundamento, seu ratione continuo timent, an hoc vel illud etiam fecerint, an recte doluerint, an satis confessi sint, et hujusmodi.

(120. Signa Conscientiæ scrupulosæ sunt præcipue sequentia: 1. Frequens iudiciorum mutatio ex levibus, et frivolis solis motivis, unde oritur in agendo inconstantia, v. g. in Horis Canonicis aliquando septies, aliquando decies mutant scrupulosi iudicium, num hunc, vel illum versiculum dixerunt, et hujusmodi. 2. Pertinacia proprii iudicii, qua scrupulosi, nec periti Doctoris, nec prudentis, et experti Confessarii consiliis acquiescunt, sed adhuc manent anxii et inquieti, huc illucque discurrentes, ad hos vel illos consulendos, nullius tandem iudicio acquiescentes, nisi suo. 3. Multiplicitas reflexionum extravagantium, et impertinentium circa innumeras rei circumstantias. 4. Continuus timor, quod in omnibus suis actionibus, vel omissionibus adsit peccatum, et Confessariorum, immo et sæpe contra etiam proprium iudicium remanere inquietos, et anxios. 5. Experientia quod sæpius similia sine rationabili motivo, et fundamento inaniter apprehenderint. 6. Iudicium proprii, et frequentati Confessarii, quod tales sui penitentes sint scrupulosi.

(121. Causæ conscientiæ scrupulosæ, seu scrupulorum, sunt præsertim sequentes. 1. Consortium, seu frequens conversatio cum scrupulosis. 2. Ignorantia, qui enim ignorant, levibus sæpe, et frivolis motivis anxiantur, et circumferuntur. 3. Pusillanimitas, et dejectio animi, ob quam quis nescit timores contemnere. 4. Complexio frigida, et melancholica. 5. Immoderatus, et indiscretus fervor. 6. Imbecillitas capitis, quam homines apprehensivi solent habere. 7. Occulta superbia, ob quam aliquis non vult se submittere iudicio, et directioni alterius. 8. Nimius timor servilis, hic enim animam tremulam, et trepidantem facit. 9. Suggestio Dæmonis ut bonum spirituale hominis impediatur. 10. Voluntas Dei, quæ interdum ad puniendum peccata nostra, præsertim superbiæ, singulari sua providentia superbiam nostram a scrupulis depasci permittit; vel interdum scrupulos in animum nostrum immittit ad nos instruendos, ut sciamus compati, et dirigere simili malo afflictos; vel interdum ad excutiendam nostram tepiditatem in Dei servitio; vel denique ad meriti nostri exercitium, et augmentum.

(122. Remedia conscientiæ scrupulosæ, seu contra scrupulos sunt speciatim sequentia. 1. Seligere Confessarium, aut Consiliarium in rebus moralibus satis probatum, atque expertum, et ejus consilio, et iudicio, proprio iudicio postposito, firmiter, et ultimate acquiescere sine ulteriori indagine, etiamsi scrupulosus sit vir doctus. 2. Scrupulos con-



tis Jesu de ordine Sanctitatis Suae, ne uno modo permittat Patribus scribere pro opinione minus probabili, et impugnare sententiam asserentium licitum non esse sequi opinionem minus probabilem in concursu magis probabilis sic cognitae, et judicatae: verum etiam relate ad omnes Universitates Societatis Jesu mentem Sanctitatis Suae, ut quilibet pro suo libito libere scribat pro opinione magis probabili, et impugnet contrariam praedictam, eisque jubeat, ut mandato Sanctitatis Suae omnino se submittant.»

« Intimato dicto ordine Sanctitatis Suae P. Generali Societatis Jesu per R. P. D. Assesorem, respondit, se in omnibus quando citius pariturum: licet nec per ipsum, nec per suos Praedecessores fuerit unquam interdictum scribere pro opinione magis probabili, eamque docere. » (146. Mittimus hic alia Romanorum Pontificum Decreta, quibus alii Ordines Regulares monentur, in scholis tradere atque tueri probabiliorum tantum, tutioremque moralem doctrinam, atque solum Benedicti XIV recensere sufficiat verba, quae habet in Encyclica Epistola ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos super praeparatione ad Jubilaeum, data in Arce Castri Gandulphi, die 26 Junii 1749, Pontificatus sui anno nono: De Confessariis enim haec habet: (147. «Secundum pro Confessariis monitum hoc est, ut si contingat, sicut frequentius quidem contingere solet, Confessarium in suo ministerio aliquid a poenitente audire, quod examine opus habeat, caveat ne divinando definiat; sed antequam responsum praebet, tempore congruo, et consilio rem expendat. Optanda in quolibet Confessario esset scientia eminens; sed mediocris, et sufficiens omnino necessaria est. Nec ultra sperare licet, cum morum Theologia tot tantasque complectatur quaestiones, quae a Canonum, et Apostolicarum Constitutionum notitia pendent; adeo ut fieri vix possit ut homo praesentia habeat, valeatque ut dicitur, stans pede in uno, ad quodlibet respondere, quemadmodum praestare solent eminenti scientia praediti: opus isti minime habent ad librærum lectionem confugere, quod facere consuescunt ii, qui sufficienti dumtaxat scientia pollent, ut animadvertit Praedecessor noster Innocentius IV, in comment. num. 2, tit. de electione et electi potestate, ubi ita scribit: » Scientiam autem reputamus eminentem, quae subtiles quaestiones discutere, et definire novit, in promptu responsiones habet: ille habet mediocrem, qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nescit respondere, et qui in libris ve-

porro exemplum Decreti P. Olivæ intimati genuinum esse pugnant Gagna, Balla, et alii qui Probabilismi defensionem adversus P. Danielem Concinam susceperunt; Negat Joannes Vincentius Patutius Epistolarum sub Eusebii Eranistis nomine editar. tom. 2, epist. 16. Meum non est controversiam istam fusius persequi. *Votum* dumtaxat P. Lauria, qui deinde S. R. E. Cardinalis fuit, quod ex P. Gonzalez MSS. olim exscripsi proferam. Est autem hujusmodi: « Existimo expedire, ut injungatur Patri Generali Jesuitarum, quod det licentiam Lectoribus, ut de

ritatem eorum, quae scire tenentur, scit quaerere, etsi in promptu omnia non habet. « Cum igitur Confessarius in dubiis quaestionibus, aut in iis, quarum notitia certa evolvere libros coactus sit, non sine defectu id praestet. Nihil quippe novi pronuntiabimus, si dixerimus, in tanta scriptorum multitudine reperiri illos, qui opinantur, scribuntque juxta modum ab evangelica simplicitate, et Patrum doctrina prorsus alienum. » Cum plures opiniones Christianae disciplinae relaxativas, et animarum perniciem inferentes, partim antiquas interim suscitari, partim noviter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis exacerare, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina; et quem si pro recta regula fideles in praxi sequuntur ingens eruptura esset Christianae vitae corruptela. Verba sunt Praedecessoris nostri Alexandri VII in decreto suo, die 7 Septembris. 1665. « Verum praetermissis implicatissimis quaestionibus, quae excitari de scriptorum auctoritate, eorumque doctrinis possent, sat nobis erit Confessarium monere, ne in dubiis controversiis propriae adhærescat opinioni; sed antequam deliberet, evolvat non unum, sed plures libros: inter istos consulat praestantiores: postea illam amplectatur sententiam, cui magis suffragari rationem, et auctoritatem favere cognoverit. » Ita docuimus in nostra Epistola Encyclica de usuris, quae est 143, in tom. I nostri Bullarii § 8. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant; sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter ceteros praedicantur; deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligunt. « Id ipsum nunc in memoriam revocamus. Nostra quippe sententia coerceri intra fœnoris confinia non debet, sed ad ea omnia extendi quae ad forum Sacramentale, et conscientiarum regimen attinent. »

(148. His summorum Pontificum decretis accedunt etiam Sac. Urbis Congregationes, quae veluti Pontificis organa reputantur; in quibus probabilismus improbat. Cujus quidem rei duos afferre testes sufficiat. Primus sit Cardinalis Gabriel Paleotus, Romanae Curiae negotiorum peritissimus; Is namque lib. de Sacri Consistorii consultationibus anno 1594, edito part. 4, quæst. 13, haec scribit: « Cum non de rebus, sed de hominibus, nimirum de actionibus, seu de factis ipsorum hominum agitur; ita in his versari

probabilitate tractantes impugnare possint sententiam quae asserit quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognita et judicata licitum sit sequi minus probabilem. Secundo existimo posse etiam a Qualificatoribus non praecoccupatis qualificari hanc doctrinam. An sit licitum id facere; jam enim initium huic Operi dedimus... in tertia propositione ex 63, damnatis docente: Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. » (Edit. Barbiell.)

debemus, ut, si revera dubitationem habent, et animus in his dijudicandis in contrarias partes distrahitur, semper in tutiorem partem, si ex alterius electione periculum peccati imminet, juxta Sanctorum Patrum sententiam judicemus... Non loquimur, de judicandis actionibus alienis, sed de judicio, quod quisque de rebus suis facere debet in foro interiori, quas ubi dubium est de peccato, in tutiorem partem interpretari debemus, ut a poenae spiritalis periculo longius arceamur. Sapientis enim est cum Beato Job dicere *Verebar omnia opera mea.* » Hanc decidendorum casuum regulam non Consistorii Collegium, sed cætera itidem Congregationes sequuntur.

(149. Secundus erit Cardinalis Petra, major Poenitentiaris a plurimis annis, qui in tractatu De Sacra Poenitentia, anno 1712, edito cap. 9, num. 6, haec profert verba: « In opinionum vero electione Sacra Poenitentia eas amplectitur, ac sequitur, quae saluti animarum obesse non possunt; et propterea non se credit cuicumque Doctorum judicio, nisi veritate fulciatur; quod si inter oppositas sententias versetur, ut vere ambiguum, et dubium maneat, quod solide statui debeat, tutiorem partem praelegit, a qua omnino distet quaelibet ruinae spiritalis suspicio, ut animadvertit Syro in citato libello de majoribus Poenitentiaris quæst. 7, præl. et P. Thesaurus Sacrae Poenitentiaris MS. tit. 43, num. 5. » (150. Hanc praxim communem esse in aliis Romanae Curiae Congregationibus idem Cardinalis Petra asserit loco laudato, cap. 9, num. 7, his verbis: « Hujusmodi vero stylum procedendi, quem sequitur Sacra Poenitentiaris Officium, complectuntur quoque quaelibet tribunalia majora Urbis, atque consuetudini inhaerent Summorum Pontificum, qui semper in certiore partem confugere solent, quotiescumque intercedit aliquod salutis periculum: » et post plura in medium allata Congregationum exempla, ut hujusce facti testes, haec alia addit verba: « Summorum Pontificum semper fuit, et est veluti quoddam axioma: In dubiis via tutior est eligenda; et quod certius existimamus, tenere debemus. » (151. His similia tradidit Cardinalis Lambertinus Tom. 2, Notific. 6 num. 17, tom. 4, notif. 20, et Tom. 5, notif. 18.

(152. Vides ergo, Romanam Ecclesiam, quae Mater et Magistra est omnium Ecclesiarum, probabilismum rejicere, atque rejiciendum omnino esse docere, atque praecipere. Aliarum quoque Ecclesiarum eadem sententia est; nam vix unam reperire est Ecclesiam, quae post ortum probabilismum in suis Synodis, in quibus tradita a majoribus doctrina exponitur ac declaratur, veluti perniciosam hujusmodi doctrinam non improbaverit. Ce-

(1) Sicut et apud Petrum Ballerinum in *Praelectione 2, praemissa tom. 1. Summae Theologicae S. Antonini edit. Veron. an. 1740,* cujus praelectionis titulus est: « Ecclesiae sententia de principiis in decisione casuum Conscientiae adhibendis, Antonini, et antiquorum principiis consona, recentioribus autem Probabilistarum contraria: quae ex Romanorum

lebrorum tantum Ecclesiarum decreta referam, vel indicabo. (153. Primo quidem S. Carolus Borromaeus tom. 1. Act. Eccles. Mediolanensis p. 4, tit. 21 haec de Definitore Controversiarum praecipit: « Ejus munus erit, ubi omnium sententias audierit, summam colligere quae fuse dicta sunt, praetermissa commemorare, falsa a veris, dubia a certis, singularia a communibus secernere, et quae verior doctrina sit exponere, ac rem denique omnem explicare. Ut vero muneris sui partes praeclare obeat, magnum in eo studium ponet, ut gravissimos quosque Scriptores evolvat, optimas sententias seligat, quas bene notas, planeque perspectas habeat. » (154. In dubiis quod tutius et probabilius videatur tenendum Confessariis esse, asseruere quoque Gabriel Paleotus in Synodo Sabinae celebrata anno 1573, ut videre est in collectione Synodorum a Cardinali Albano facta anno 1737, pag. 92. Aloysius Molinus Episcopus Tarvisinus in decretis Synodalibus editis anno 1601, part. 3, cap. 28, de Congregat. num. 9. Marcus Maurocenus ejusdem Tarvisinae Urbis Episcopus in Synodo celebrata anno 1642, cap. 35. Marcus Cornelius Episcopus Patavinus in Synodo septima habita anno 1624, part. 3, cap. 1. Augustinus Priolus Bergomensis Episcopus in Constitutionibus Synodalibus anno 1628 editis, part. 3, tit. 4. alique diversarum Ecclesiarum Episcopi, apud P. Danielem Concinam in *Historia Probabilismi* videndi (1).

(155. Haec sane sufficerent ad penitus evitendam omnem de probabilismo doctrinam, verum praeterire haudquaquam possum tutissimas illas de probabilium usu regulas, a totius Franciae Nationali Concilio (2) anno 1700 celebrato, stabilitas, quae ita se habent: « Absit vero ut probemus eorum errorem, qui negant, licere sequi vel inter probabiles probabilissimam. Sed ad rectum usum probabilium has regulas a jure praescriptas cognoscimus. Primum est, ut in dubiis de salutis negotio, ubi aequalia utrinque animo se offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive quod in eo casu unice tutum: nec id consilii, sed praeccepti loco habeamus, dicente Scriptura: *Qui amat periculum, in illo peribit.* Haec est prima regula. Altera, ut circa probabiles de doctrina Christiana sententias, sequamur id quod Viennense Concilium Oecumenicum circa infusas tam parvulis, quam adultis in baptisate virtutes decrevit his verbis: » Nos hanc opinionem tamquam probabiliorum, et dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiae magis consonam et concordem, duximus eligendam. « Quod Concilii judicium, eo magis ad dirigendos mores pertinere constat, quo magis ex ipsis fidelium sanctitas ac salus pendet. »

Pontificum, Sacrarum Romanae Ecclesiae Congregationum, et Episcoporum posterioris Antonino, qui documentis eruitur, Cap. 2, num. 24, Seqq. » et Joannem Vincentium Patutium in opere inscripto *Regola prossima delle azioni umane.* (Edit. Barbiell.)

(2) Nationale Concilium vocat Cleri Gallicani Comitium. (Edit. Barbiell.)